



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

5 Quibus modis peccetur indigne baptizando.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

ricio non ordinato ministrante, vbi Panorm & alij, cap. 1. & 2. Maio. lib. 3. de Irregularit. cap. 13. Nauar. cap. 27. num. 242. & alij supra citati. Vltimo ex dictis in hac sectione intelligitur, peccare baptizatum (sub quo comprehendo eos, qui infantem ad Baptismum offerunt) recipiendo Baptismum ab eo, qui non habet ius, seu potestatem ministrandi illum: quia, & quantum in ipso est, inuertit debitam subordinationem, & hierarchicum ordinem Ecclesiae, & quia cooperatur peccato alterius. Et ideo necesse est, vt voluntarie id faciat: nam si necessitate compulsus id efficiat, quamuis ex malitia alterius in tali necessitate constitutus, non peccabit recipiendo Baptismum: quia tunc non cooperatur, sed permittit alterum in se operari. vt, si alter minetur mortem, nisi se permittat baptizari, vel si laicus vi detineat Sacerdotem, & homo alias Baptismo indigeat, & in casibus similibus, in quibus semper est adhibenda illa generalis exceptio, dummodo id non cedat in iniuriam fidei: & contemptum religionis Christianae: nam tunc potius subueniendum est martyrium, quod vicem Baptismi supplebit.

SECTIO V.

Quibus modis peccari possit indigne ministrando Baptismum.

Hic titulus adeo generalis est, vt possit etiam comprehendere quaeuonem, precedente sectione, tractatam. Iam ita illum proponimus, vt multa & varia, quae breuiter expediti possunt, comprehendamus: & intelligendus est de ministro, qui per te loquedo, potest licite baptizare: & ita excludimus proximam precedentem quaeuonem: nam etiam supposita facultate & iure dandi sacramentum, oportet seruare debitum & convenientem modum, vt recte & sine peccato fiat.

Tria ergo, vel quatuor sunt principalia capita, ex quibus oriri potest defectus seu culpa in administratione huius sacramenti. Primum ac praecipuum est substantia ipsius sacramenti: erit enim graue peccatum in hoc ministerio aliquid praetermittere, quod sit de illius substantia, vt patet ex generali doctrina supra tradita de sacramentis: hoc autem accidere potest, vel ex parte materiae non adhibendo naturalem aquam: vel non in sufficiente quantitate aut ex parte formae, non proferendo omnia verba necessaria: aut ex parte ministri, non habendo necessariam intentionem, aut ex parte personae baptizandae: quod solum potest contingere, vel ex defectu consensu, & voluntatis eius, cui Baptismus datur, si adulus sit, vel si Baptismus detur ei, qui iam baptizatus est, de quo genere peccati, dicemus sectione sequente. Atque ad hoc caput spectat, vt minister in his praescriptum, quae sunt de substantia, adhibeat ea, quae sunt certa, quoad possit, praetermissis dubiis, etiam si probabilia sint, cuius rei plura exempla in superioribus visa sunt, & ratio etiam est clara, quia contra omnem rectam rationem est exponere se periculo nihil faciendi, absque necessitate vel casu urgente. Quae ratio in omnibus sacramentis est vrgentissima, in hoc autem maxime propter eius necessitatem. Rursum ex hoc principio inferunt aliqui teneri foeminas, quae ex officio sunt obitricices, ad scienda ea, quae sunt substantialia ad Baptismum, scilicet materiam, & formam, saltem vernacula lingua. Ita sentit Nauar. cap. 22. num. 6. citans Palud. in 4. d. 5. q. 2. n. 7. vbi ait, non omnes teneri ad sciendam formam Baptismi, nisi quibus incumbit ex officio, vt Curatus, inquit, & obitrix, cui saepe incumbit, quae verba transcripsit etiam Anton. 3. p. cap. 13. §. 4. Quae opinio est pia & consulenda: tamen in rigore non video, quale sit hoc praecipuum: quia non est positium Ecclesiasticum, vt constat. Nullibi enim scriptum reperitur. Neque etiam est naturale, quia non pertinet ad iustitiam, quia ex vi

sui muneris non obligatur obitrix ad curandam salutem animae pueri, sed solum ad recte cooperandum natiuitati corporali eius: neque etiam pertinet ad charitatem: quia, licet supposita necessitate pueri, teneatur quilibet illum baptizare, si potest, vt recte praedicti authores, & omnes docent: non tamen tenetur vnusquisque esse paratus aut instructus ad dandum Baptismum, si fortasse inueniat proximum in necessitate constitutum: ergo neque charitas obligat obitricem ad huiusmodi praeparationem, seu dispositionem quia, licet fortasse sepius in eo munere accidat huiusmodi necessitas, tamen rarissime euenit, vel non adesse aliquem alium, a quo possit infans pritari, vel necessitatem esse tantam, vt non possit cito vocari, & expectari: ergo propter rarissimum euentum non obligat charitas ad praedictam scientiam.

Secundum caput praecipuum est, debita dispositio eius, qui ministrat, & eius cui Baptismus datur. Vtrumque enim cadit sub ministri obligationem: quamuis ea obligatio quodammodo reciproca sit: primo enim, qui hoc sacramentum ritu solemniter ministrat in peccato mortali, grauiter peccat: secus vero si absque solemnitate id faciat in casu necessitatis: vt latius dictum est supra in materia de sacram. in genere. Secundo, peccat mortaliter, qui ab Ecclesia interdictus per excommunicationem, vel aliam censuram, baptizat sine necessitate urgente: quia & agit contra Ecclesiasticam censuram, & consequenter indigne sacramentum tractat: Vnde vtroque titulo peccat, si Baptismum solemniter ministrat, imo, si sit Clericus, irregularis manebit, ex c. 1. de re iudi. cap. 1. cum aliis, de sen. excom. in 6. Si autem sine solemnitate baptizet, non manebit irregularis: quia proprie non exercet actum, ad quem sit simpliciter necessarius aliquis ordo, vt notauit Couar. cum alijs in Clem. Si furiosus p. 1. §. 1. numer. 1. & a simili confirmari potest ex dictis precedente sectione: si tamen sine necessitate id faciat, grauiter peccabit, saltem ratione censurae, ob necessitatem vero excusari potest, si non sit alius qui ministrat, quia Ecclesia prohibito, cum sit rationi consentanea, non habet locum in simili casu. De qua re videnda sunt dicta supra de sacramentis in genere, & D. Thom. qua. 64. art. 6. Nauar. cum aliis, quos refert in summa. cap. 25. nu. 72. Tertio tenetur, qui ministrat Baptismum non dare illum, nisi homini convenienter disposito: quia debet sancta sancte tractare, & non dare sanctum canibus. Quae obligatio maxime locum habet, respectu adulcorum: in quibus tria, vel quatuor obseruare debet, scilicet, quod voluntarie, absque metu, vel coactione baptizari velint, quod sint sufficienter instructi in rebus, fidei & morum: quod sufficientia signa poenitentiae degerint. Et huc spectat, quod non sint in morali periculo, vel proxima occasione recedendi a fide. Et haec vltima ratio habet suo modo robur in infantibus filijs infidelium sub eorum cura existentibus. Praeter aliam obligationem, quae oritur ex iure paterno, ob quam baptizandi non sunt, parentibus inuitis: de qua re satis in superioribus tractatum est. Quarto dixi, hanc obligationem quodammodo esse reciprocam: quia, etiam is, qui baptizatur, tenetur per se loquendo non accipere Baptismum ab indigno ministro, si facile habere potest alium, qui digne ministrat: quod explicandum est iuxta doctrinam supra traditam, tractando de sacramentis in genere.

Tertium caput est modus ministrandi hoc sacramentum, qui etiam cadit sub praecipuum: sub isto autem comprehendimus obseruationem omnium rituum, quos Ecclesia peculiari praecipuo seruandos statuit, aut quos recepta consuetudine obseruat in solemnibus huius sacramenti administratione, vt colligi potest ex Concil. Trid. sess. 7. can. 13. de sacramentis in genere, & ex doctrina supra tradita de sacramentis.

Quomodo peccetur in conf. rito h. primo ex de factu dispositionis.

Conu.

D. Thom. Nauar.

Quomodo peccetur ex defectu de huiusmodi.

Conc. Trid.

cramentalis in communi, & ex his, quae diximus de ritu huius sacramenti, satis constat fundamentum, & ratio huius obligationis: nam illi ritus sunt grauisissimi, & antiquissimi, atque ad reuerentiam sacramento conciliandam maxime necessarij, & ideo grauius peccaret, qui illos praetermitteret, sicut qui sine vestibus sacris celebraret: potest autem hoc peccatum esse leue ex paruitate materiae: quia haec obligatio, praesertim gratis, non est extendenda ad singulas, etiam leues caeremonias: intelligendum etiam hoc est extra casum necessitatis, in quo omnes caeremoniae praetermitti possunt, & debent, vt per sacramentum necessitati proxim subueniatur.

SECTIO VI.

Verum ob peccatum iterandi Baptismum irregularitatis poena incurritur.

Qui rebaptizatur, qui censetur se rebaptizari, grauisime peccans.

Constat, iterationem Baptismi, tam ex parte dantis, quam voluntarie recipientis, esse grauisimum peccatum, vt ex varijs sententijs Pontificum, Conciliorum, & Patrum traditur de Consecrat. dist. 4. cap. Non licet. 2. & sequentibus. Ratio vero à priori facta est sectione praecedente, quia hoc est contra substantiam sacramenti, quod fieri tentatur in subiecto incapaci. Vnde fit, vt etiam sit contra institutionem Christi, & contra reuerentiam debitam Baptismo prius suscepto: significatur enim fuisse inefficacem & insufficientem. Ac denique est contra significationem huius sacramenti, per quod Christo commemoratur & conspelimur, qui semel tantum pro nobis mortuus est, & sepultus: & ideo, qui Baptismum iterat, quantum in se est, iterum Christum crucifigit, vt indicatur ad Hebraeos 6. Est autem circa hoc aduertendum, tunc proprie hoc praecipuum violari, quando constat, hominem esse baptizatum sufficienti ritu externo, saltem quoad substantiam sacramenti, & nulla est probabilis ratio dubitandi de intentione debita ministri: nam haec semper praesumitur sufficientis, nisi aliunde sit probabilis suspitionis ratio. Cum autem ita de Baptismo constat, non solum erit peccatum absolute iterum baptizare, sed etiam sub conditione tum quia etiam hoc modo fit magna irreuerentia sacramento: tum etiam, quia illa conditio in tali casu est impertinens, & moraliter haberi potest pro non adiecta. Quid enim interest addere conditionem, quando iam constat, quid in re ipsa factum sit? imo videtur fere impossibile, tunc haberi actualem intentionem sub tali conditione, prout explicatur hoc verbo indicatio: intendo te baptizare, si non es baptizatus: sed solum de futuro conditionali, prout explicatur per hoc verbum subiecti uui, si non es baptizatus, intenderem te baptizare: quia stante iudicio, & credulitate, quod aliquis sit baptizatus, vix potest prior modus intentionis mente concipi, sub illa conditione, si non es baptizatus: nisi fortasse, quatenus res illa potest aliqua ratione existimari dubia, quod est etiam contra prudentiam, quando morali modo de re constat. Secundo est aduertendum, in casu dubij, quando sunt aliqua indicia ad suspicandum puerum esse baptizatum, non tamen sufficientia ad ferendum absolutum aut definitum iudicium, tunc licitum esse talem puerum baptizare, vt traditur de consecratione. d. 4. ca. pitul. Paruulos, & sequentibus ex Leone Papa Epistol. 3. cap. 1. Epistol. 92. cap. 16. & ex Greg. III. Epistol. 4. & Concil. Carthag. 5. cap. 6. Et ratio est clara, quia non est exponendus homo periculo salutis aeternae: & alioqui nulla fit iniuria sacramento, cum non consecratur animo iterandi Baptismum: & ideo ad tollendum omnia pericula, addenda est tunc conditio, si non est baptizatus: vt praecipitur in cap. 2. extra. de baptismo.

De quo praecipitur, & quando Baptismus debeat conferri moraliter dubijs, & quid sufficiat ad mora-

lem certitudinem in hac materia, satis dictum est supra dist. 22. sect. 2. solum addendum hic est, antequam in huiusmodi casu iterum detur Baptismus, adhibendam esse moralem diligentiam ad tollendum dubium: nam si statim absque illo examine detur Baptismus, valde remerebit, & contra reuerentiam sacramento debitam, vt recte annotauit Soto in 4. d. 3. art. 9. reprehendens contrariam consuetudinem aliquorum parochorum, qui maiori reprehensione digni sunt, si, quem constat esse priuatim domi baptizatum, iterum sub conditione baptizant: sed in eo casu debent caeremonias, & ritus Baptismi supplere: & ea quae sunt substantialia, omittere. Ultimo est aduertendum, hoc praecipuum non minus obligare baptizatum, quam baptizantem: peccat enim grauius, qui, cum sit baptizatus, etiam hoc sufficienter colit, iterum se baptizari consentit, et si metu mortis id faciat: quia i. intrinsece malum, multo magis, quam indignum suscipere sacramentum. Vnde etiam peccabunt parentes, vel quicumque alij qui puerum iam baptizatum, iterum ad Baptismum offerunt, eum vt baptizari procurant: quia cooperantur actui intrinsece malo: admonere ergo debent de Baptismo iam suscepto, solum quoad supplenda accidentalia, quae desunt, puerum offerre.

Haec tamen dictum est de culpa, quae in Baptismo iterando committitur, sequitur, vt dicamus de poena iure imposita pro huiusmodi culpa. Duabus autem personis impositae sunt huiusmodi poenae, scilicet baptizanti, & baptizato, quando in ea aetate est, vt consentiendo, iterationi Baptismi delinquere possit: de alijs autem personis nulla mentio in iure fit: fortasse quia licet interdum possint cooperari huic delicto, tamen valde per accidens, & remotè concurrunt. Igitur iure ciuili tam rebaptizanti, quam culpa sua re baptizato poena capitis imponitur, in l. 2. C. Nefandum Baptisma iteretur: sed haec poena nihil ad nos spectat. Dicendum ergo tantum est de poena ecclesiastica, & prius de rebaptizante, postea de rebaptizato.

Circa primum sic legitur in l. 2. C. Nefandum Baptisma iteretur: Antifitem, qui sanctitatem Baptismatis illicita usurpatione geminauerit, sacerdotio indignum esse censemus: tamen nec iure ciuili potuit aliqua huiusmodi poena intro duci, neque illis verbis poenae aliqua iniungitur, sed criminis acerbitas exaggeratur. Praeterea in can. 47. Apost. quem falso citat ex Conci. Lugdun. Burchardus li. 4. sui decreti. c. 56. deponi iubetur Episcopus, aut presbyter, qui de nouo baptizat eum, qui iam erat vere baptizatus. Sed ibi nulla poena imponitur ipso facto incurrenda, & illa depositionis poena nunc non videtur esse in usu. Rufus Felix III. Epistol. c. 2. & habetur in c. Eos, quos de consecrat. dist. 4. varias imponit poenas Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus, qui sacri baptismatis iacturam fecerint, scilicet, quod vsque ad finem vitae in poenitentia iaceant, & orationi fidelium non inter sint, & solum in fine vitae communicentur comunione laica, sed etiam haec poenae non sunt in usu, & praeterea illa verba. Vnicui salutarisq; lauacri fecisse iacturam, non significant peccatum rebaptizandi, sed consentiendi in iteram Baptismi receptionem: vt ex usu illorum verborum, & ex reliqua parte illius textus magisq; ex ipsa originali Epistola constat: nullam ergo excommunicationis, vel alterius censurae poenam inuenio esse iure impositam, quae ratione huius peccati ipso facto incurritur, solum superest dicendum de poena irregularitatis.

Et ratio dubitandi ex vna parte est, quia omnes doctores docent, manere irregularem eum, qui rebaptizando peccat, vt late tradunt Theologi in 4. d. 5. & 6. Soto dist. 3. ar. 9. Anto. 3. par. tit. 14. ca. 13. §. 12. & tit. 28. c. 6. §. 3. Nauar. c. 27. nu. 2. 4. 6. alij Summiq; verbo, Irregularitas. & Couarru. Clem. si furiosus. p. 1. in prinu. 8. In contrarium autem est, quia irregularitas non incurritur: nisi in casibus à iure expressis: sed de hac irregularitate nullum habemus expressum ius: omnes enim